
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2504 8° [13,-221]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2504 8° [13,-221]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2504 8° [13,-221]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2504 8° [13,-221]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2504 8° [13,-221]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2504 8° [13,-221]

DA B OX



BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

DI

HI

J

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2504 8° [13,-221]

D. O. M. A.

DISPVTATIO IV.

DE VERTIGINE.

Ad quam ſub præſidio

HENRICI PAVLI, Med. Doct. & Profeſſoris.

Reſpondebit

JOHANNES BIELKE N. N.

Ipſis Idib. Octobris Anno *1600.*

ROSTOCHII,
PRÆLO MYLIANDRINO.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2504 8° [13,-221]

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2504 8° [13,-221]

DISPVTATIO IV.

DE VERTIGINE.

I.

VErtigo, quæ Græcis δῖνος eſt affectus quo caput & omnia quæ cernuntur circumagi & in orbem verti videntur.

2. *Quòd ſi præter vertiginem tenebræ quoq; accedunt, adeò vt ægrotus viſu, quaſi obiectis tenebris deſtituatur, compoſito nomine σκοτόδινος, id eſt tenebricoſa vertigo nominatur; & interdum σκότωμα; quod tamen nonnulli de vtroq; intelligunt.*

3. *In hoc affectu ingraueſcente promptiſſimè à parua occaſione, vt leui in gyrum motu aut alia euidente cauſa, vel etiam citra hanc, niſi propinquis nitantur adminiculis, ægroti in terram concidunt.*

4. *Magna eſt vertiginis cum Eplepſia cognatio, præſertim grauioris, quæ laborantem proſternere, & per certa interualla ad lunæ mutationes (quod tamen admodam raro accidit) recurrere ſolet. Sed dignoſcitur ex eo quod vertiginoſi ſenſibus non priuentur, neq; conuulſionibus concutiantur.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2504 8° [13,-221]

5. Eſt autem hoc ſymptoma multiplex, ad videndi, imaginandi, & mouendi poteſtatem pertinens.

6. Et proficiſcitur à morbis inſtrumentarijs, ſcilicet ab obſtructione ſinuum cerebri ex vaporibus; & à vitioſo ſpirituum ſitu: quorum tamen conſenſu etiam oculi laborant.

7. Cauſæ huius mali ſunt quæcunq; turbulentos ſpiritus, procreare, vel procreatos commouere poſſunt, dum humores vel calefaciunt, aut exagitant, cerebrumue concutiunt.

8. Externæ vero & euidentes cauſæ quæ paroxiſmum cient præcipue ſunt ſolis æſtus, exceſſusq́; omnis aëris, conſtitutionesq́; intemperatæ, præſertim humidæ & calidæ, vt auſtrinæ: aſpectus rerum ſplendore aliquo coruſcantium vt radiorum ſolarium; atq; aliarum rerum quæ in gyrum raptantur aut celeriter mouentur, vt ſunt vertices aquarum, rotæ curruum, magna hominum corona; proſpectus ex præcipitio, exercitatio immodica: crapula; ſibi natura ſua vaporoſi, vt allium, cœpæ; inedia: alui conſtipatio: conſuetæ euacuationis ſuppreſſio: medicamenta vehementer aut intempeſtiuè purgantia: coctus nimius: animi commotio vt ira, timor; ingens ſtrepitus: cerebri concuſſio: meatuum in capite denſitas & obſtructio: & alia quæ his ſunt ſimilia.

9. His quoq; adiungere oportet naturæ conatum in

excer-

excernendis humoribus per criſin, quam vertigo plærumq; antecedit, interdum conſequitur, translata ad cerebrum materia per criſes imperfectas, quod poſt morbos diuturnos accidere ſcribit Rondeletius.

10. Cauſa interna eſt omnis intemperies ſiue arteriarum, ſiue cerebri, concoctionem impediens, præſertim calida, quæ quemuis humorem ſiue is ſanguineus, ſiue bilioſus, ſiue pituitoſus, ſiue etiam melancholicus ſit, extenuando & in feruorem agendo multos vapores flatuoſos producit.

11. Et ex frigida intemperie cruditatis parente, multi craßiq; vapores emergunt, quos imbecillis calor gignit quidem & excitat, ſed dißipare nequit.

12. Proxima verò cauſa conſiſtit in vaporibus illis flatuoſis in cerebri ſinus irrepentibus; qui dum variè mouentur, ſpiritus ſimul exagitant & variè impellunt, atq; inde turbulentos ſenſus motusq; reddunt.

13. Hinc ex leui ſpirituum agitatione ſimplex tantum vertigo: ex vhementiore vero, præſertim à vapore craſſo vapore tenebricoſa oritur.

14. Non autem perpetuo vapores gignuntur in cerebro, ſed interdum aliunde mittuntur, vel ex toto corpore vt in febribus, plethora, cacochymia; vel ex viſcere aliquo præcordiorum aut hypochonchiorum vt hypatis, lienis, &c.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2504 8° [13,-221]

15. Potiſsimum vero adſcendunt vapores in cerebrum ex ventriculo per inediam calore (alimenti inopia) humores noxios exagitante, acres attenuante & calefaciente. Solet enim quandoq; per inediam ventriculus prauis repleri ſuccis quos ex hepate aliiſq; vicinis partibus trahit. Sæpius autem bilis ex hepate in ventriculum regurgitat.

16. Et per cruditates ventriculi vertigo oritur, quod calor imbecillior vapores quos gignit diſſoluere nequeat: Aliquando humor illic prauus aceruatur genitus in ventriculo, aut cibus corruptus continetur, à quo vaporum copia exhalat.

17. Non rarò etiam exſurgit ab vtero, dum menſtrua non probè reſpondent, aut à vaſis ſpermaticis ex retento & corrupto ſemine.

18. Similiter quoq; cauſam habet à lumbricis vel vlcere ſordido inteſtinorum aut eorundem abſceſſu, vt Foreſtus narrat lib. 10. obſeruat 43.

19. Sed non ſolum à partibus internis, ſed etiam externis vt ipſis cruribus homines in vertiginem compelli poſſe ſunt qui exiſtimant: quod facile admittitur, cum longè grauius ſymptoma, nempe Epilepſiam inde interdum excitari conſtet.

20. Fernelius meminit de quodam cui ab occipitio vertigo exoriebatur, Huic pars in occipite minima

dole-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2504 8° [13,-221]

dolebat, quæ ſi vel blandiſsimè atingeretur, concitatus humor vaporem in ſenſus omnes exſpirabat quo protinus offuſi tenebantur.

21. Hic ſcio in quodam admodum frequenter ex dente canino dextro, ſi fortè is ab inſpiratione aëris vel aliàs leniſsime ſaltem refrigeratur, aut ex ſuperiore labio, ſi illud ex improuiſo attingitur momento citius auram quandam in cerebrum euolare & vertiginem minitari, cum tamen in prædictis partibus nihil vitioſi viſu aut tactu deprehendere liceat, quamuis malum iam per multos annos infeſtauerit.

22. Porrò ſiue totius corporis ſiue partis vitio contingat vertigo capitis, tamen vel capitis vel cerebri quædam imbecillitas ſubeſt, ob quam conualeſcentes in vertiginem procliues eſſe experimur.

23. Ex his conſtat aliam vertiginem primario cerebri affectu, aliam vel totius, vel ventriculi aliarumq́ partium conſortio fieri.

24. Coniicimus autem vapores illos localem habere in cerebro generationem, nimirum ab intemperie inæquali cerebri, quando aurium ſoni & capitis grauitas dolorq́ coniunguntur, itemq́, olfactus vel alterius alicuius ſenſus inde prodeuntis oblæſio comitatur.

25. Conſenſum totius corporis deprehendimus ex

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2504 8° [13,-221]

indicijs plenitudinis aut cacochymiæ citra affectiones aliarum partium.

26. *At ex locis determinatis, ſi ventriculus materiam ſubminiſtrat agnoſcimus hoc ex nauſea, vomitu, inappetentia, oris amarore & cordis eroſione, quam Græci* καρδιωγμὸν *appellant.*

27. *Si qua pars alia huic malo dabit originem eius affectæ indicia elucebunt.*

28. *Signa vertiginis ipſe ægrotus prodit, ſcilicet tenebras oculis obuerſantes, & omnium rerum apparentem circumactionem.*

29. *Prognoſt: Quamuis vertigo mediam quandam naturam adepta ſit inter eas ægritudines quæ ſunt pernicioſæ, & eas, quæ omni prorſus periculo vacant, nunquam tamen contemni ac negligi debet: tunc autem potiſsimum timenda eſt cum ex proprio vitio cerebri naſcitur, ſiquidem furoris, melancholiæ, eplepſiæ, apoplexiæ, aliarumq; grauiſsimarum ægritudinum ſatis certum præludium exiſtit, quas maiori ex parte (& potiſsimum Epilepſiam atq; Apoplexiam) antecedit, eaſdemq́; propiores ſeu remotiores eſſe ſignificat, prout vehementius ac frequentius eadem homines infeſtauerit.*

30. *Vertigo tenebricoſa deterior eſt quam ſimplex,*

Quæ

Quæ ab humoribus calidis nata eſt citius terminatur quàm à frigidis.

31. Curatio vertiginis pro varietate cauſarum variè inſtituenda eſt. Primo externæ cauſæ quæ internas irritare poſſunt remoueantur.

32. Aër ſit temperatus purus non admodum lucidus. Fugiatur nebuloſus, craſſus, ventis ſpirans.

33. Cibus ſit ſimplex, boni ſucci, concoctu facilis, attenuans, flatuum expers, modicus, ſtomacho commodus. Nec ſatietas nec ieiunium prodeſt. Cœna ſit parcior prandio.

34. Panis ſit ex optimo tritico, benè fermentatus. Qui vt etiam reliqua alimenta, condiatur aniſo, fœniculo, caruo, cymino. Conuenniunt carnes pullorum, caponum, auicularum, agnorum, vitulorum, lepuſculorum, damarum. iuſcula non admodum proſunt. Nocent in ſartagine frixa; aut toſta. Et damnantur cancri, amygdalæ, nuces, olera vaporoſa vt braſsica, legumina, rapæ, caſtaneæ, fructus omnes, qui in ventriculo facile computreſcunt. Piſces ſaxatiles, ſquammati rarius ſumti admittuntur.

35. Potus ſit vinum aquoſum, album, tenuiſsimum, non admodum antiquum; aut loco vini hydromel, decoctum aniſi, cinamomi. Muſtum & cereuiſia cruda & recens maxime nocent. In cereuiſia bona ſuſpen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2504 8° [13,-221]

dere nodulum ex cymino vtiliſsimum eſt. Inter prandium & cœnam nihil bibendum.

36. A cibo ſumto exhibeantur quæ habent vim adſtringendi ſtomachum, vt pyra toſta, cydonia condita marmyllada, conſerua roſarum, meſpila: idq́ꝫ præſertim ſi vitio ventriculi fiat affectio.

37. Somnus ſit moderatus, nec caput multis tegumentis inuoluatur. Decubitus ſit decliuior.

38. A Veneris vſu maxime abſtinere oportet, niſi à genitalibus vertigo ſuboriatur.

38. Quod ad reliquam curationem attinet, in hac primò conſiderandum, quid in ipſo paroxyſmo agere oporteat. Ægrotus ſtatim ſupinus collocetũr: quieſcat in lecto; abſtineat à multis colloquijs, extremitates corporis vt brachia & pedes validiſsimè linteo aſperiore perfricentur. Nequaquam autem caput ipſum fricare oportet, niſi cum corpus bene fuerit expurgatum. Poſt frictiones, non prius, odoramenta naribus admoueantur ex aqua roſacea & aceto in calida cauſa. Aëtius vtitur ambra & moſcho in frigida. Quæ tamen ante ſufficientem euacationem ſuſpecta ſunt. Recentiores maximè probant nigellam, maioranam naribus admotam.

40. Poterit parari nodulus odoriferus. Recipe ſpecierum diambræ, diamoſchi, diatriaſantali, ſeminis nigellæ, caryophyllorum, ana drachmam ß. roſarum rubearũ maſticis ana ſcrup.j. fiat nodulus ex ſynd. rub.

41. Interea etiam ſine mora aluum ſollicitare oportet glande vel clyſtere acri.

42. De-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2504 8° [13,-221]

42. Deinde prout cerebrum per ſe patitur, àut prout ei totum corpus vel pars aliqua noxam communicat, non neglectis alijs indicationibus, vena conueniens vel cephalica, vel baſilica, vel tali aperiatur, menſesq; aut hæmorrhoides, ſi ab ijs malum pendet, promoueantur.

43. Sed dubitatur an ſanguis mittendus in vertigine à frigidis humoribus. Reſpondetur, non temerè hoc faciendum, ſed hac diſtinctione adhibita ſi ſanguis multus circa caput appareat. Atqui in ea vertigine quæ à ventriculo initiũ ſumit nequaquam, neq; euacuationis, neq; reuulſionis, neq; retractionis cauſa conducit.

44. Eſt autem in venæ ſectione obſeruandum, ne aceruatim fiat ſanguinis ſubtractio, ſed vt per interualla repetatur, quia facillimè propter ſanguinis agitationem Spiritus ſimul perturbantur. Deinde vulnuſculum non ſit valde amplum propter vires, ne Spiritus ſimul euolent. Tertio non ſecentur ægroti ſedentes ſed decumbentes, quia facile poſſunt corruere. Quartò non eſt in acceſſione aut paroxyſmo ſecanda vena, ſed extra acceſſionem.

45. Præparantia pro diuerſitate materiæ peccantis eligantur; ſi frigidis & pituoſis humoribus ſcatet cerebrum exhib. ſyrup. de betonica, pæonia, ſtæchade, mellirosaceum, cum aq. capitalibus. Si ex bilioſa materia vitium naſcitur, conueniunt ſyrup. roſarum, violarum, granatorum, cydoniorum, cum aq. plantaginis, lactucæ. roſarum.

46. De-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2504 8° [13,-221]

46. Decocta quoq; ex herbis capitalibus conuenientibus parari poterunt. Que ſi calefacientia velimus non ſint admodum calida. Non ſolum autem his ſed alijs etiam remedijs adduntur rectiſsimè ſemina pæoniæ, radices pæoniæ, viſcus quercinus, lilium conuallium & ſimilia quæ Epilepticis peculiariter prodeſſe ſcimus.

47. Poſt præparationem humorum accedendum ad purgantia, In bilioſa materia ſumatur Syrupus ex multiplici infuſicne roſarum, caſsia, Rhabarbarum, myrobalini, Diacatholicum, diaprunum ſolutiuum. In pituoſa verò, Agaricus trochuſcatus, Mechoaca, pillulæ alephanginæ, de hiera, de agarico, maſtichinæ, de hiera cum agarico, cochiæ, aureæ, lucis. Pillulæ ſine quibus dictæ.

48. Quia verò rariſsimè vnus humor ſolus peccat, ſed bilis in hoc malo alijs humoribus prauis permiſceri ſolet, magna ex parte permiſcenda ſunt quæ bilem purgare poſſunt. Præſtant hoc pillulæ poſtremo loco poſitæ. Egregie etiam proſunt hæ quæ ita conficiuntur. Recipe aloës puriſsimæ, Rhabarbari electi, Agarici trochiſcati, an. ſcrup. ij. maſticis, ſuccini albi, ſantali citrini, roſarum rubearum ana gran. V. Formentur pillulæ cum ſyrupo, betonicæ, vel aqua cephalica, vel ſyrupo roſarum ſolutiuo. Doſis drach. j. vel drach. j. ß. vel Recipe aloës cum aq. roſarum ſiue Endiuiæ lotæ drach. iij. Rhabarbari drach. j. ß. Myrrhæ electiſsimæ, maſticis, thuris, croci ana. ſcrup. ß. Formentur pillulæ cum aq. acetoſæ, vel

ſimili,

ſimili : ſumatur ſingulis menſibus ſemel atq; iterum drach. j. vel drach. j.ß.

49. Ad reliquias humorum à cerebro detrahendas tandem præſcribantur apophlegmatiſmi, vel naſalia communia. Vel naribus attrahtur ſuccus betæ & maioranæ.

50. Vel ad diuerſionem fiant etiam lotiones pedum, ex folijs ſalicis, vitis, Nymphææ, lactucæ, aut ex calidis herbis vt betonica, maiorana, calendula, & ſimilibus, pro diuerſitate cauſæ.

51. Nec incommodè ſcapulis & inferioribus partibus cucurbitulæ cum ſcarificatione, aut magnæ ventoſæ affiguntur.

52. Perſeuerante vertigine alijs remedijs non iuuantibus, arterias poſt aures incidi monet Gal. & Paulus Ægineta, quorum hic rationem eas ſecandi præſcribit lib. 6. cap. 4.

53. Sed poſteritas timidior hoc remedij genus fugit, quia non ſatis tutum eſt per ſe, & propter chirurgos minus exercitatos, & propter ſterilitatem quàm inde ſuccedere Hippocrates innuit.

54. Tutior eſt & optimè auxiliatur aurium ſcarificatio, quam aliqui in omni cauſa attentant.

55. Poſſunt etiam veſicæ excitari poſt aures ex fermento & cantharidibus.

56. Rhaſis ſpinæ intra ſecundam & tertiam vertebram cauteria imprimit, quæ non inutiliter etiam applicantur brachijs vel cruribus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2504 8° [13,-221]

57. *Ad corroborandum cerebrum dentur electuaria ex conſ. ſaluiæ, pœoniæ, betonicæ roreſmarini, ex myrobalmis, chebulis conditis, nuce muſcata condita, additis ſpeciebus aromaticis: in quibus tamen cauendum ne multum Zibeti recipiant.*

58. *Quod ſi aliam bilioſæ materiæ rationem habere velimus addantur præcedentibus conſeruæ refrigerantes, vt roſarum cichorei, Nymphææ, & ſpecies diatriaſantali, diarrhodonis.*

59. *Sequentes rotulæ optimè iuuant. Recipe, diamoſchi dulcis diambræ ana drachmam j. Succini albiſsimi ſcrup. ij. olei aniſi gutt. iij. Sacchari in aq. lauendulæ diſſoluti vnc. iiij. Vel, Recipe coriandri præparati j. ß. cubebarum, ſuccini albi ana drach. ß. ſantali citrini ſcrup. j. ſacch. ſuffic: diſſolua: in aq. betonicæ, florum tiliæ aut ſimili. Vel, Recipe cubebarum, granorum pæoniæ, ſaluiæ, coriandri præparatri cinamomi, nucis muſcatæ, ana drach. j. ſuccini albi drach. ß. Sacchari ſuff, diſſol. in aq. pæoniæ, fiant rotulæ vel morſuli, quibus affricetur oleum aniſi, vel parum ſuccini.*

60. *Inter facilè parabilia magnam vtilitatem affert ſemen carui ter quaterue circa veſperam in aceto ſemper renouato infuſum & tota nocte maceratum, & toties rurſus manè exſiccatum. De hoc ſumat ægrotus horis matutinis, aut aliàs vacuo ſtomacho quantū tribus prioribus digitis attollere licet. Sic etiam macerari poteſt cymimum, & macis.*

61, *Hæc de vertigine ex primario cerebri affectu.*

At ſi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2504 8° [13,-221]

At ſi aliunde materia fertur, tunc & accipientis & mittentis loci & materiæ quæ mittitur rationem habere oportet.

62. Locus accipiens (nempe cerebrum) ita confirmandus eſt vt non tam facilè alienos vapores admittat: quo potiſsimum ſpectant oxyrhodina confecta ex oleo & aceto roſaceo, quibus aliquot guttæ aq. roſaceæ inſtillantur.

63. Alij audent caput aqua perfundere, Alij addunt aquæ paululum acete roſacei, ſed perfuſiones impensè frigidæ, non niſi hominibus bilioſis ac quorum capita plus nimio incaluerint ſunt adhibendæ.

64. In frigidiore autem cerebro & materia pituitoſa vtilius eſt oleo & aceto ex quibus oxyrhodina parantur, aliquid ſerpilli vel ſaluiæ adijcere.

65. Loci mittentis ratio habetur cum eius vitia tolluntur, à quibus vapores trauſmittuntur.

66. Itaq; ſi hoc fit ex toto corpore, vel per venæ ſectionem, vel per purgantia humorem vitioſum, illud inaniatur.

67. Si tantum determinata aliqua pars vt ventriculus noxam communicat, materia peccans vel per aluum ſubducatur, vel per vomitum eijciatur.

68. Deinde ad claudendum orificium ne vapores cerebrum petant. Recipe conſeruæ roſaceæ, marmylladæ vel carnis cydoniorum ana vnc. j. ß pul. maſticis. corallorum præparatorum ana drach. ß. cum ſyrupo cydoniorum fiat electuarium, de quo ſumat vertiginoſus poſt cibum inſtar nucis muſcatæ maioris.

69. Empy-

69. Empyrici & Chymici magnam ſpem ponunt in tinctura corallorum, eamq́; ſine iudicio indifferenter exhibent. Hæc ſi rectè parata eſt multum præſtat, quando ab imbecilliore ventriculo vapores in cerebrum exhalant.

70. Similiter ſi ab alijs partibus originem trahit, illæ primùm curentur, deinde confortetur cerebrum.

71. Reſtat vertigo quæ vim criſis ſequitur, In hac naturæ motum, quamdiu ſalutarem molitur excretionem, nullis remedijs oportet perturbare.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2504 8° [13,-221]

2504.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2504 8° [13,-221]